

E X P L I C A T I O P A R T I V M M A J O R I S
E T P R A E C I P V A E D O M V S .

HÆC major & præcipua Arcis Uraniburgicæ domus à me exædificari cæpta est Anno 1576. Posuitq; ejus primum fundamentalem lapidem, Serenissimi & Potentissimi Galliarum Regis in Daniâ plurimis Annis Legatus Magnus Dominus CAROLVS DANZAEVS, vir integritate, virtute & rerum usu nulli secundus, & Doctrinis insuper liberalibus præclarè imbutus; qui cum me singulari & constanti amore, quam diu vixit (obit enim ante Octennium ætatis anno Octuagesimo primo) profecutus fuerit, mihi & meis rebus plurimum semper favebat. Et simul ac domum hanc construendam intellexit, se primum lapidem angularem isthic collocaturum sponte addixit. Moxq; in Porphyrio quodam saxo verba sequentia excindi curavit.

R E G N A N T E I N D A N I A F R I D E R I C O I I

C A R O L V S D A N Z A E V S A Q V I T A N V S . R . G . I . D . L .
D O M V I H V I C , P H I L O S O P H I A E I N P R I M I S Q V E
A S T R O R V M C O N T E M P L A T I O N I R E G I S D E
C R E T O A N O B I L I V I R O T Y C H O N E
B R A H E D E K N V D S T R V P E X T R V C T A E
V O T I V M H V N C L A P I D E M M E M O R I A E
E T F E L I C I S A V S P I C I I E R G O P .

A N N O . d . 1 . L X X V I .
V I . I D . A V G V S T I .

Cum verò dies is, foundationi destinatus, instaret, accessit optimus ille Danzæus, comitatus aliquot Nobilibus viris, tum quoq; quibusdam doctis ex amicis communibus, qui huic actui interessent: & die octavo Augusti manè exoriente Sole una cum Ψ juxta cor Ω , Lunâ occiduum cardinem in ∞ occupante, in omnium nostrum præsentia lapidem eundem locavit, litando prius solenniter vinis diversis, & fausta quæq; precando, suffragantibus iis, qui circumstabant amicis. Constitutus autem est hic lapis in angulo domus orientali versus Notapelioten, velut in apposita figuratione juxta literam F. exprimitur. Postmodum tota domus extrui cœpit; & successivis annis absoluta est; ut non pauca aut leves interea obreperint difficultates & remora, de quibus jam non attinet dicere. Explicatio verò Orthographiæ ejusdem domus hic assignata ita se habet: A. Ianua Orientalis ex Ionico & Dorico opere composita. B. Cœnaculum hybernium. F. Lapis ille, cujus memini, fundamentalis, quem posuit dictus Legatus Gallicus. G. & H. Fenestræ cellæ subterraneæ. C. Camera pro hospitibus: Suntq; versus occasum duæ similes. M. Musæum cum bibliotheca. L. Laboratorium chymicum subterraneum & rotundum, continens 16. varias fornaces Arti Spagyricæ destinatas. I. Foramen per quod demittuntur carbones pro laboribus Pyronomicis. Z. Cella subterranea pro reponendis lignis. q. Coquina. D. Camera vocata rubea, & Camera flava octogonalis. E. Camera Cærulea. His tribus respondet versus occasum Cœnaculum majus æstivum viridi colore, & in Tabulato herbarum præcipuarum picturis exornatum, unde Navium, æstivo præsertim tempore prærenavigantium ingens numerus jucundè prospicitur. X. Fenestræ superioris contignationis. O. Observatorium majus Meridionale, aliquot insignes & majores machinas Astronomicas continens, præsertim Semicirculum Azimuthalem, Regulas Ptolemaicas, Sextantem Orichalcicum pro Altitudinibus capiendis. Quadrantem Orichalcicum mediocrem Azimuthalem: quæ suo loco superius & representata, & exposita sunt, nimirum numero 8. 9. 4. 3. retinendo videlicet eundem ordinem, quo hic recensentur Instrumenta. Quod & in sequentibus (ubi opus) intelligendum. P. Globus quidam cui imponitur Instrumentum inter observandum distantias Stellarum, ut fulcri loco sit, quò in eo ad omnes plagas convolvi possit, qualis etiam depingitur superius apud Sextantem, num: 16. Huic similis versus occasum respondet. Q. Ambitus Octogonalis, in quo situs est Globus prædictus. N. Observatorium minus Meridionale Armillas AEquatorias capiens undiquaq; Orichalcicas num. 13. indicatas. VV. Descensus in laboratorium & ascensus in Observatorium. R. Observatorium majus Septentrionale, aliquot etiam magnis Instrumentis refertum; utpote Regulis sive Parallatico majore Orichalcico, quod in muri circumferentiâ Azimutha etiam monstraret num. 10. explanato. Erat quoq; in eadem Turri Sextans per unicum Observatorem distantias præbens; & Arcus ille bipartitus; atq; illud Instrumentum cujus in observandâ novâ stellâ olim usus erat: quæ tria antea numeris 17. & 15. exponuntur. Conservabatur etiam ibidem Parallaticum quoddam ligneum à magno illo Copernico quondam in usu habitum & mihi VVarmiâ dono missum: Cujus suo loco mentionem feci. S. Observatorium minus Septentrionale, alias Armillas AEquatorias continens num. 12. delineatas. T. Altus Globus similis priori, fulcri loco imponendis Sextantibus inserviens, cui etiam versus occasum similis respondet. In loco autem superiore ipsius domus, ubi fenestræ rotundæ visuntur, octona cubicula sunt, pro Studiosis. F. Suprema Camera Octogonalis proximè infra cuspidem domus, ex qua undiq; patet prospectus habens in circuitu ambitum, quem Galleriam vocant supra ipsum tectum. $\gamma\gamma$. Structuræ Octogonales, in quibus imagines excisæ 4. Anni partes referentes, conspiciuntur. $\beta\beta$. Septem Camini in unum desinentes versus austrum, & alii septem versus Boream, ita ut omnes Camini totius domus in duobus locis distinctim concurrant. N. Horologium, cujus campana ζ . superius pendet. λ Pegasus auratus, qui versatili indice, infra tabulatum supremæ Cameræ ostendit, unde venti spirent. Ibiq; alius index in eodem centro volubilis horas monstrat. Talis est exterior facies domus, sive ab Oriente sive ab Occasu spectetur, & si Meridionalem partem quis cum Septentrionali conferat, eandem etiam inveniet formam, ita ut omnia sibi invicem correspondent, & competente Symmetriâ constant; prout in Architectonicis, si artificiosè & debito modo conficienda sunt, requiruntur. Quin & subterranea, quæ punctatis lineolis inferius conspiciuntur, sic sunt accipienda: Infra Turrim Australem quicquid cernitur, laboratorium Pyronomicum, quoad fieri potuit, exprimit; ubi 1. Mensa est rotunda in ejus medietate sita: in quâ reponantur ea, quæ præparanda sunt. Numerus 2. furnos varii generis circumcîcâ dispositos utcunq; repræsentat. Erantq; numero 16. Tria balnea diversimoda. Vnus digestorius in cineribus, quatuor magni athanores, duo parvi, duo furni destillatorii in arenâ vel cineribus, Vnus pro vesicâ magnâ, duplicibus canalibus adaptatâ. Alius secretus furnus cum lampadibus. Duo reverberatorii furni, quorum unus in directum, alter per lineam Helicam tam apertè quàm clausè reverberabat. Eratq; major fornacum pars è lapidibus fossilibus è Norvagiâ allatis, quas Bergenses vocant: siquidem hi ignem fortissimum sustineant, & affabrè elaborari queant. Sed singula quæ in hoc erant laboratorio, si exponenda forent, non paucis absolventur. Quæ infra ipsam majorem domum designata sunt, Cellas, repositoria, & penu, indicant subterranea. Vbi januæ per quas hinc inde fit ingressus num. 3. Columnæ autem sustentaculi loco dispositæ num. 4. notantur. Sub Boreali Turri juxta num. 5. Puteus ille Cementitius cernitur 40. ulnas profundus: cujus postea in Ichno-graphiâ ulterior fit mentio. Numero 6. Cistæ sunt Cementitiæ, in quibus edulia quædam conservabantur.

Cætera partim figura exprimit, partim subintelligenda veniunt.